34-6-1-18
165

PHOENIX
AB IGNE REDIVIVVS
ORATIO
D·S·SPIRITVS
ADVENTV

HABITA

IN SACELLO

PONTIFICVM

IPSO PENTECOSTES DIE

AD SANTISS. D. N.

VRBANVM VIII.

PONT. MAX.

A DONATO ACCIAIOLO FLORENTINO

Sem. Rom. Conu.

166

EMINENTISSIMO PRINCIPI FRANCISCO CARDINALI BARBERINO S. R. E. VICECANCELLARIO

DONATVS ACCIAIOLVS FEL.

VEREBAR paulò ante Prin. Em. ne mihi dicendi facultas vlla ſupereſſet, aut locus Orationi foret plurimis de cælo linguis in igne diuinitus pluuio perorantibus, & duodecim Chriſtianæ veritatis internuntijs, ad loquendum inſtructis: cum enim eiuſmodi ſonus

omnibus oratorijs numeris maior nō Græciam modò, aut Romanum forum, ſed orbis ambitum vniuerſi compleuerit, abſorbere facilè poterat vocem meam, cuius artificium eſt intus canere *cum Aſpendio, audientibus nullis. At* VRBANI *patrui tui ter maximi, ſanctiſſimiq. Pontificis humanitas paſſa eſt linguam adoleſcentis imperitam, & rudem, cum linguis cæleſtibus loqui, atque audiri in ſacello ſuo, quod diuini Spiritus tum regnantis eſt ſolium, tum ſuggeſtus docentis. Fateor inde oratiunculam hanc audaciorem effectam, atque alas ad volatum explicuiſſe vbique legendam; ne verò pertimeſcat aut Icari caſum, aut virgulas Ariſtarchi, tuo petit inſigniri nomine, tuæ gentis ſigno notari. Dignare igitur ſupplicem patrocinio, eiuſque imbecillitatem ſuſtenta, id certè præſtabis abundè, ſi reſpexeris tantum, quod reor tibi fore facillimum, cui grauiſſima Chriſtianæ rei procuratio, hoc eſt mundi machina, pondus eſt leue. Viue diù ad publicam felicitatem.*

ORA-

ORATIO

SI quandò B.P. obmuteſcere in roſtris Oratorem oportuit, nunc ſilentium illi videtur indictum, quum linguarũ lapſu numeroſo loquitur nobis è cœlo SPIRITVS VERITATIS; Ioan. 16. atque inter flammarũ incẽdia, auræq. ſonitus ad corda declamat. Et ſanè ars dicendi magiſtra, quæ dominari conſueuit in forô, ſi voce compreſſa audire nunc primùm addiſcat; deinceps, vel tacendo efficacius perorabit: verè enim aureas ab ore catenas ducet; quibus, vt Herculis ſimulacrum apud Celtas, populorum Alex. ab Alex. Gen. myriadas ſine verborum ſono deuinciet. dier. l. 4. c. 12. At ſi Græcia Oratorum mater tonantem Periclem, Plut. in Peric. & cientem fulmina tanquam Iouem alterum excepit attonita: decet etiam igneum imbrem diſ- Act. 2.

pertitum in linguas (qui ſermo eſt loquentis Dei) ad mortalium pectora nullo in terris obſtrepente perlabi.

Diog. Laer. in Pytha. Verum cæleſtis animorum inſtitutor, vt audiatur à ſuis non præcipit cum Pythagora ſilentium quinquennale; ſed flammis cælitus in venas Thren. 1. Sap. 10. immiſſis erudit imperitos, os mutum aperit, & linguas infantium facit diſertas. Etenim ab eo calore mentes igneſcunt, afflantur numine, magnis imbuuntur rerum notionibus, & nouis vtuntur vocibus ad promulgationem oraculorum: diceres cordibus rogum accendi, ſed ad vitam; Iſai. 6. tangi igne diuino labra, ſed ad facultatem vaticinandi. Pauſan. in Att. l. 1. Mentiuntur omninò qui aſſerunt, Apollineæ tactu citharæ lapides Megaris euaſiſſe vocales, Idem. l. 6. atque ad exortum ſolis in Bœotia ſtatuas accinuiſſe radiorum appulſui: cum autem Spiritus Domini inſtar auræ tenuis diffuſus eſt per Sap. 1. orbem terrarum; tunc verè mundi facies renouata *vocis* habuiſſe *ſcientiam* perhibetur; quoniam inde Plato. nata eſt altera hominum vita, quæ non tam ſenſibus corporis, quam ſapientia, & virtutibus animi definitur.

Libet igitur voce ſoluta huic ſupremæ maieſtatis auguſtiſſimo Senatui Augurum more felicia nunciare, quum lynceis oculis de cælo ſeruamus vitalem candidiſſimæ Colvmbae volatum, quæ Gen. 8. non ad vltrices criminum aquas ab arca dimittitur; ſed è ſinu Numinis ſecum affert puriſſimas

faces

faces ad humani generis vitam, multò verius, quam olim de Solis rota Prometheus, vt ſomniabat antiquitas: Spiritvs enim Dei, *qui ad prima rerum fouenda ſemina ſuper aquas ferebatur, illiſque in ſimilitudinem volucris incubabat*; nunc vt vetuſtate conſumpta naturam inſtauret, ad homines in igne deſcendit. Certè diuinitatis è ſolio tanquam è nido veniens Colvmba tam felix, in medio aëre ſolem imitata clariſſimum, veteres Hebræorum vmbras expellit: mox vt eorum Reipublicæ conſeneſcenti, ac propemodum emortuæ pyram inflammet, pennas vibrat in fulmina; & pro gemitu tonans, alarum agitatione ventum incendio ſubminiſtrat. Et verò non quinque tantùm ciuitates turpitudine flagitiorum infames, ſed maximam terrarum partem ſcelerum contagione corruptam ignis hic rerum inſtaurator abſumere, ac depaſci viſus eſt: nam innumeros Titanas cælo minantes non modò repreſſit ab audacia; ſed vi flammarum redegit in cineres, & flaminis impetu diſſipauit, nuſquam vel vbique ſepeliendos. Capitolinus ille Iuppiter triſulco igne metuendus, non vnius auulſione lapidis (vt ingens & mirifica quōdam ſtatua Regi Aſsyriorū oſtenſa per ſomniū) ſed modicæ lapſu ſcintillæ comminutus eſt, atque in fauillam euanuit. Berecyntia Deorum mater cum partu multiplici conflagrauit; ſuiſque & filiorum cineribus obruta reliquit ſacra Ethnicorum infanda, obſitas ſqualore

Ser. in Ecl. 6. Vir.

Gen. 1. S. Hieron.

Gen. 19.

Dan. 2

lore

lore aras, ac templa ſitu deformia. Martis telum, Apollinis citharam, Mercurij talaria, tridentem Neptuni, Palladis clypeum, Bacchi thyrſum, cæteràque fictorum Numinum inſignia fulminantis cæli ruina detriuit. Quid? vrbium fortiſſi-
Gen. 11. ma Babylon, Gigantum opus Deo ſceptrum extorquere parantium; illa moles coctili latere, atque interfuſo bitumine compacta; illa ſuperſtitionis, atque impietatis Regia temerè in cælum ſublata, ſolo cæleſtium ignium fragore corruit;
Ioſu. 6. veluti Iericuntina moenia ſacerdotibus circumſtrepentibus tubarum clangor euertit. Lucis in linguas diſtributæ repentinus, & canorus hic ar-
Iud. 7. dor territas Tartarorum acies fugat, & palantes perſequitur ad exitium; non ſecus ac Gedeonis imperio occluſæ in lagænis faces, ijſque ex condicto colliſis inter tenebras extemplò conſpicuæ, hoſtium armatorum millia paucis atque inermibus victoribus ad internecionem tradiderunt.

Quid verò de Iudæorum Republica, quid de legis antiquæ cæremonijs, atque inſtitutis dicam, quæ Moſe quondam interprete peregrina diù natio didicit ab ipſo cælo, nonniſi prodigijs, atque ſignis proloquente? defecit illa medio in curſu, vel ſatis collecto puluere peruenit ad metam, quum ſecundo ventorum afflatu diſſipatæ ſunt
Leuit. 1. &c. nubes, & viſus eſt ſol. Vbi ſunt cæſæ pecudum victimæ? vbi Sacerdotes, & Flamines earum ſanguine reſperſi? vbi templum illud mobile ad ſan-

ctioris

ctioris Arcæ cuſtodiam deſtinatum? maioris aduentu luminis videri deſierunt; cum ſignificationes tantùm eſſent, & notæ quædam alterius victimæ, quam habemus nouam, & planè diuinam ad ſcelerum expiationem. Sacerdotium ſucceſſit incruentum: ſtabilia paſſim atque æterna delubra ad cultum veri Numinis excitamus. Nuſquàm amplius apparet in ſacris diſcolor, & varius veſtium apparatus, orbis terrarum expreſsione inſignitus: mala punica defloruerunt ab extrema lacinia; ærea tintinnabula ſunt effracta; pretioſi lapides pectori, atque humeris ſuperpoſiti receſſerunt è medio: abolitas video legum innumeras ſanctiones, & obſoletos ſacrificiorum ritus, qui diuinioribus myſterijs proludebant; quoniam ignis largè in pluuiæ morem ſuperfuſus, veterem gentis religionem illibata Chriſtianarum virtutum ſanctimonia permutauit. Hoc enimuerò quid aliud eſt, quam aurum fieri ex ferro ad inuſitati caloris allapſum? vt abſque fabula iam verè dicatur, aureum ſæculum ferreo ſucceſsiſſe. Nempe Amor diuinus ſi terræ ſordes vel vjliſsimas vitali ſpiritu foueat, illicò abire iubet in gemmas, additque neglecto pulueri pretium. Rubum ſpinarum admiramur ab innoxia flamma non tam ardentem, quàm demptis aculeis progerminātem in roſas. Populus ille olim vegetus, virtute florens, & viribus; cum cælum benignè ſuppeditaret ad paſtum dulciſsimos cibos; cum

Exo. 16. 18

Leuit. 8.

Num. 31

Exo. 16.
Exo. 17.

ad

ad potum ſilices verterentur in fontes; cum feliciſſima regio lacte manans, & melle ad delicias aperiretur; populus, inquam, enutritus cæleſti rore inter vbera propè dixerim diuinitatis, exhauſto vigore conſenuit, & deficiente pabulo mortem expectat. At moriatur longæuus Phœnix hoc igne; vt verſo in cunas rogo iterum naſcatur ex fúnere; cadat inglorius, vt glorioſus reſurgat. Alteram ales nobilis vitam inibit, priore conſumpta: nam ſalutare incendium putrem imminuet ſenectutem, donec iacentes humi cineres viuidus excitet calor; atque è diuinarum Triade perſonarum SPIRITVS ille ter maximus animet denuò meliorem in lucem.

Hinc Chriſtiana Reſpublica ducet alite bona natalem ſuum: hinc REDIVIVVS PHOENIX
Gen.2. accipiet inſpirãte Numine ſpiraculum vitæ, quod limo terræ olim afflatum in horto voluptatis homines dedit: hinc Romanæ Eccleſiæ (quæ piorum rectè ſentientium cætu definitur) dignitas omnis, & pulcritudo naſcetur. Prodeat igitur vocante cælo, prodeat poſt receſſum hyemis ad florentes nuptias noua Sponſa, mundum acceptura muliebrem, non ex gemmarum nitore, ſed ex ardore flammarum: alterius rogum ſibi formet in thalamum, & ſecura ducatur ad Sponſum, quoniàm mille nuptiales tædæ iam lucent. Verum optamus quæ facta, & cum præſens eſt oraculi veritas, tanquam de futura vaticinamur.

Benè

170

Benè eſt: aër læuo tonitru, atque omine læto præ-
luxit; imo potius nouæ mortalium felicitati prò-
luſit. Expreſſum eſt è nubibus non fulmen aliquod
metuendum, ſed amabilis repentè fulgor apparuit:
arsere cometæ nõ in regnorum perniciem; ſed ad
captiuitatem animorum erigendam in regnum :
aperto cælo non imbrium, ſed ignium copia peti- Gen. 8.
mur; vt labes eluat flamma, quas vnda nõ potuit.
Tuus verò principatus B.P. natalem hic habuit;
inſtitutum enim à vindice noſtri generis Chriſto
regale Romani Pontificis ſacerdotium, atq. à Deo
Optimo Maximo confirmatum Spiritus eiuſdem
Numinis verax, igneis in cælo notis expreſſit, &
lingua multiplici promulgauit ad homines. Ab eo
tempore Petrvs ampliſſimam poteſtatem ad ſo-
lem vtrumque, imò etiam vltrà mundi fines pro-
tendit, igne diuini ſpiritus præeunte : hanc illi fa-
cem prætulit cælum in re Chriſtiana adminiſtran- Q. Curti-us.
da, quemadmodum Regi ſuo ſacrum ignem Per- Herodot.
ſarum olim natio præferebat. Romanæ purpuræ
fulgor ab eodem ſole promanat: huius loci maie-
ſtas, quam ſumma Regum capita venerantur, eũ-
dem ſuæ pulcritudinis, & magnificentiæ authorẽ
agnoſcit: hic Purpuratorum conſeſſus (in quo re-
giæ dignitatis ſpeciem intueor longè verius, quam Liuius.
Cyneas Theſſalus in Romano Senatu) ſplendidè
cum Apoſtolorum cætu cæleſtium flammarum
diademate coronatur. hæc ſummorum Põtificum
ſedes

S. Leo. ſedes, apud quam *magiſtra* quondam *erroris Roma facta eſt diſcipula veritatis*, nonniſi diuinum SPIRITVM audit, cuius verba tanquam ex tripode, ſeu cortina quadam interpretatur. Ipſa denique V R B A N I O C T A V I nunc pro Chriſto feliciter in Vaticano regnantis eximia ſapientia (qua toties per inſtituta ſanctiſſima communi bono prouiſum eſt) eiuſmodi magiſterio referri debet accepta: omnis enim veritatis inſpiratorem DEVM habet ad aures aſſiduum, ſibique in conſilio aſſidentem: loquitur ſæpe non tam ſua, quam huiuſce SPIRITVS lingua; oſtenditque palam ſe ab ore diuinitatis capere præcepta regnandi, vt ſempiternus ignis
Ex.13. miſſus in terras, non in columnæ ſpeciem errabundæ per deſertum, ſed in ſimilitudinem linguæ vbique declamantis cum hominibus perſeueret ad pignus ſalutis, & cuſtodiam dignitatis. Vtinam ea nobis flamma ſit vigil, atque alacri
Liuius. non Veſtalium, ſed virtutum æmulatione ſeruetur, in ſpem certam imperij apud Superos poſ-
Matth.2. ſidendi. Vtinam ab ea ſemper lampades ardeant, apud ſapientes Virgines inextinctæ. Ità ſanè pollicetur repentinus ille linguarum ſonitus de cælo cadentium, quibus reſpondere ſolum amando poſſumus, aliter omninò non poſſumus.

Interim dum mortalium cauſam ad ęternum tribu-